DE SYPHILIDE DISSERTATIO QUAM AD MEDICINAE LAUREAM...

Francesco Fettauer



DE SYPHILIDE

DISSERTATIO

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

ASSEQUENDAM

IN PERVETUSTA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE

PATAVINA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

FRANCISCUS FETTAUER

TERGESTINUS



PATAVII

EX TYPOGRAPHIA CRESCINI

1843



Parisella

OMNIBUS

QUI DOCTRINA

CONSILIO ATQUE EXEMPLO

STUDIA MEA PROMOVERUNT

LECTORIBUS

Aliqua de Syphilitico Morbo generalia, utilitati saltem juvenis studiosi, colligere mihi fas sit. Ita de Origine, Decursu, Natura, Formis et Curationis Methodis, cui Literatura addenda est, aliquem sermonem faciam. Voluntatem non spernite, debilitati virium parcite, errores corrigite, meo usque animo grato.

DE SYPHILIDIS ORIGINE

La Syphilis est un Protée qui peut revêtir mille formes differentes.

BOYER.

Syphilidis origo inter argumenta magis certata viget. Si adhuc sub judice lis est, nimia sane esset audacia nostra, dum vix fores templi Æsculapii attingimus, litem definire. Tantummodo cum ad morbi naturam intelligendam, vel ad curandi modum utile evaderet, quidquid proferendi jus exorietur. Hinc, aliquibus relatis opinionibus, simplices observationes et generales deductiones nobis exponere concedatur.

Cel. Astruc qui pulcherrimum edidit circa hunc morbum opus, sustinebat eum sese per Europam propagasse Christophoro Colombo ex America redeunte per militum infectionem ab illius novi mundi habitatoribus adquisitam, qua de re primo in Europa sub saeculi XV fine syphilis adparuisse videtur. Quae suppositio a Medico Hispano Orviedo, una cum Colombo in novo mundo aliquot temporis vivente prolata fuit, quamque Girtanner, Sydenham, Boerhaave, Haller et quamplurimi alii secuti sunt.

Sed oppositores nonnulli in eam surrexere, inter quos alii sustinuerunt syphilidem ex Sicilia profecisse, unde *mal de Naples* fuit vocata; alii e contra e Gallia, unde *morbum Gallicum*, multi ex Hispania, ex quo *malum Hispanicum* nominarunt. Nec de-

fuere qui ex fabulosis eventibus ejus originem detegere putarunt; ut ex conjunctione Saturni et Martis, quae die 16 Januarii 1496, vel Jovis et Martis quae die 17 Septembris 1494 evenit: adest qui enarrat adfuisse in Neapolitana obsidione improbos mercatores qui carnem hominum recens occisorum in Mauritania vasis conditam loco thymorum dividerent, ex qua syphilis exoriretur, quod sic explicabatur: Cannibali in Occidente humana carne vescebantur et eorum India, cum prima esset detecta, plurimum hoc laboravit morbo. Ex quibus saltem observandum quod si ad fabulas homines recurrerent et variae essent uno eodemque tempore opiniones, origo vera latebat. Fracastorus et ipse qui initio saeculi decimi sexti scripsit, Colombi et Americi Vespucii coaetaneus, observat quod cum viri fide dignissimi et moribus illibatissimis affecti essent, morbus certe sponte oriri debebat; dein quomodo brevi tempore, imo dicam momento, potuisset malum hoc per contagium sese extendere et ictu fere eodem in regiones tam differentes et distantes proserpere? Quibus ratiocinationibus et illae Hunterii, quae anno 1786 in lucem comparuere, adjungantur, de morbis aequalibus illis a veneno syphilitico productis, non tamen effectu duorum sexuum differentium unionis, unde a veneno venereo omnino independentibus, pertractantes. Post quem celeberrimum scriptorem Hensler, Gruner (in Germania) Swediaur (in Gallia) validissimis rationibus sustinuere a remotissimis temporibus extitisse morbos suam sedem in genitalibus tenentes illis similes, qui a veneno syphilitico procedunt. Plena est historia apud jureconsultos, poetas, historiographos et medicos primae antiquitatis, descriptionum morborum, qui suam originem a coitu dignoscunt impuro.

Hippocratis, Galeni et Celsi latent an libri, in quibus circa morbos ad partes genitales similes illis qui syphilidis characteres genericos praebent discutitur? Dioscorides docet medelae modum in Rhagades, Condylomata, Ulcera, Tubercula ad pudenda; Juvenalis et Martialis satyrae mordacitate quadam coitus impuri sequlas pinxerunt.

Paulus Æginae, Lanfrancus, Guy de Chauliac, Becket, maximam partem symptomatum hujus morbi

ante saeculum decimum quintum ut sequelas absolutas libidinis dijudicati descripsere.

In statutis Angliae decimo primo saeculo et postea apud Joannam I.^{m} 1347. aderat lex qua mulctabantur pecunia qui proprio domo foeminas ab *ardore*, libidinis effectus, inquinatas accepissent; quod vocabulum *ardoris* illis *fluxus venerei*, lingua nostra respondet.

Medii aevi literatura ditissima est argumentis unde syphilidem adesse illo tempore autumetur. In satyra: *de corruptione omnium statutuum et imminente interitu mundi* de tribus malorum morum effectibus loquitur: *de adulterio, immunditie, lepra*, cui ultimae affectioni morbosae individua cum meretricibus communicantia obnoxia erant; ex quo de syphilide facile judicare fas est. Villon, Pacificus Maximus loquuntur clare de morbis domibus prostitutionis adeptis.

Ipse Astruc, qui originem syphilidis antiquiorem refutat, dicit Endemiam in Antillis fuisse . . . . et subjungit: reperiri tamen sub zona torrida regiones alias, in quibus lues eadem vernacula et endemia fuisse videatur. Quae omnia cum etiam spontanea syphilidis origine quadrare videntur et eam antiquiorem novi mundi cognitione dari posse statuunt.

Sed argumentum clarissimum sit Moysis lex. In Levitico, libro tertio Pentateuci, Moysi tributo, haec adsunt quae mihi transcribere concedantur. " Vir qui patitur fluxum seminis immundus erit . . . . qui tetigerit carnem ejus lavabit vestimenta sua et ipse totus immundus erit usque ad vesperum. Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum qui immundus est lavabit vestimenta sua; et totus immundus aquae erit usque ad vesperum . . . . . Omnis quem tetigerit, qui talis est non lotis ante manibus lavabit vestimenta sua; et lotus aquae immundus erit usque ad vesperum . . . . Docebitis ergo filios Israel, ut caveant immunditiem, et non moriantur in sordibus suis. „ Certe Moyses semen *immunditiei* fontem non auserit vocare, sed illum fluxum e genitalibus qui notas saltem physicas diversas a naturalibus praeseferret; quod etiam si segregationis et lotionis jussum ab illius prudentia quam scientia procedi velimus, putaremus ne Moysem hoc fluxu *modo de-*

finito loqui ita ut legem universam crearet quin morbus veneficus universe agnosceretur? quod si ita res se habeat, non uno ictu certe admittendum morbos enasci, et ob effectus obque curam dignosci. Quibus adde fluxum verum seminis rarissimum esse, notas tales unde immunditiem pariat non habere, transitorium semper et nunquam contagiosum fuisse. Quin etiam, si verus fluxus seminalis fuisset, cum formam ita morbosam et ita universalem acquisiverit statuendum characteres syphilidis habuisse.

Ratiocinationi vero aliquid concredendum ut et spontanea syphilidis originem habeatur. Per hanc observamus quod materierum animalium emortuorum sub fluida vel liquida forma facillima est fermentatio; quod in organis genitalibus foeminae potest et debet, sub libidine praesertim, nec non immunditie incongrua, semen hominis et aliquis foeminae ipsius humor stagnare, unde fermentationis materialia; nec certe ullus asseret lymphatica in meretricibus praesertim, ea promptitudine qua semen accipiunt absorbere, ex quo fit ut meretrices primae syphilidis fontes efficiantur. Ad quod confirmandum, nonne sub puerperio, tempore menstruorum apud multas et promptissime odor inamoenus ex illis partibus exsurgit? cui tribuendum? Et hac de causa vellemus de opinione silere qua sustinetur homines blennorrhoeam acquirere si coitum cum foemina tempore menstruationum exerceant? Cui adde quod si individua quae per coitum uniuntur aliqua labe universali afficiantur, se-et excretiones non perfecte sanae esse debeant, et sicut minus vel majus vitales, vel vitalitate, vel mixtione (qualitate) aberrantes, ita facilius fermentationi, ne putrefactioni dicam, obnoxias. Potest dein concipi quod morbus aliquis etiamsi contagiosus, spontaneus prius non esset? Certe unus primus homo aflici debuit; et hic a quo accepit? Omnes insuper morbi contagiosi ab organismi corruptione, vel a causis externis, vel ab ambabus hisce conditionibus initium repetunt, vel in natura vigent: . . . . Si hoc esset, entia sui generis forent non destruenda; sed destrui videmus et ab aliis subrogari . . . . . Aliquando morbi novi contagiosi insurgunt, aliquando epidemici putati contagiosam in-

dolem assumunt, non raro accidit ut ex una et alia conditione prodeant, tandem adsunt qui putantur vel contagiosi vel epidemici, et sub hisce respectubus neutri sunt.

Sed quid? cognoscimus contagia a priori vel a posteriori? et si a posteriori, cognoscimus et definimus contagiosos morbos statim ac exsurgunt? Hisce denique de rationibus, quamplures, ne omnes dicam, morbi contagiosi forsan suam originem occultavere.

Quae conditiones syphilidi, tempore Moysis praecipue, verberante ita sole, innumero populo ita agglomerato, indeque omnibus temporibus quibus libido, immunditics, calor intensus viguere et vigent, imo quibus perfecti homines non omnes sunt, syphilidi dicam concedantur.

Sed et sponte in simplici individuo syphilis exsurgere potest. Et hic *sponte* solis causis aliorum morborum universalibus sibi vult. Praeter historiam illius aetatis praesertim in qua syphilis ita grassabatur ut nec aetatibus, nec innocentiae, nec pueris, nec senibus, nec conditionibus, nec virtutibus parceret et analogia quae, quamvis parvi ponderis, tamen nonnullius est, nostram defendit sententiam. Desunt revera casus morbi alicujus contagiosi et non contagiosi, qui ex causis omnino vel non omnino contagiosis, vel individualibus, et forsan peculiari influxu atmosphaerae, exsurgant? Quot eruptiones cutis non sunt spontaneae, quot etiam quae ex. gr. ex immunditie vel ex acribus substantiis productae fuere? (unde certe aliquod acre principium in immunditie est admittenda). Ita ex cibis nimio sale, vel aromatibus conditis, inflammatio membranae oris mucosae, aphthae, exulcerationes exoriuntur et non raro evenit ut si quis bibat in poculo, ubi prius infectus potum hausit, ab ipsa affectione corripiatur. Scabies est sane contagiosa, sed non desunt casus ubi ex immunda cuti, et etiam sponte propria, in lucem prodiret; ita de scarlatina, morbillis, variolis, miliaribus, cholera asserere fas est. Et quid de cancraenis et praecipue de illa hospitii, si de omnibus, et de phthisi quoque, brevitatis causa, taceam? Omnes tandem auctores pus generice qua contagiosum admiserunt et certe aliqua species puris est humor blennorrhoicus et qui ex bubonibus etc. effluit. Hisce

omnibus adde quod permulti morbi cutanei non contagiosi et sane contagiosi originem progressum, finem (sub aetatum respectu) celebrarunt et inde vel in alios mutati fuere, vel omnino siluerunt, quod certe ex simplici contagio explicationem non obtinet. Nec duae epidemiae saeculi 15 et 16 in nostram certant opinionem. Hisce observationibus innixi liceat admittamus:

a) Syphilidem per contagium et sponte enasci posse;

b) Originem illius multo antiquiorem tempore etiam Moysis fuisse.

DE SYPHILIDIS DECURSU

Duobus sub respectibus decursus syphilidis observandus est.

I. Quoad epocham — II. Quoad organismum.

Decursus quoad epocham in duas aetates subdividitur, nempe: 1. ab origine incognita ad ultimos saeculi XV annos; 2. ab his ad nos.

Decursus quoad organismum ad morbum localem, et generalem respiciet.

De Decursu quoad epocham.

Ætas prima tenebris pro maxima parte obvoluta est; demonstravimus vero syphilidis existentiam tempore legislationis Moysis apud Haebreos; in Anglia saeculo XI. et XIV., tempore Dioscoridis apud Graecos, Juvenali et Martiali viventibus apud Romanos. Et sane ante annum 1494 in terris Americae a Colombo primum detectis est admittenda.

Certum est quod tum morbus erat contagiosus, quod sub blennorrhoeae forma communissima invadebat et fere omnes aliae formae apud Romanos tempore Juvenalis et Martialis, nec non apud graecos, Dioscoride vivente, cognoscebantur. An morbus fuerit malignitatis nota obrutus deduci non potest.

Ætas secunda in periodos permultas ab auctoribus dividenda censetur.

I. Ab anno 1494 ad 1514.

Hispani Christophoro Colombo duce Antillas acquisiverunt et in Haiti praecipue degere. Hoc annis 1492, 1493 accidit et ubi foedissime cum mulieribus indigenis veneris consuetudine morbum contraxerunt. Sed liceat mihi observare quod si mulieres tam erant in-

festae ut tot homines afficerent, morbus ibidem universus fuisset et Hispani magnam ad illum praedispositionem habuissent. Ex his anno 1494 Neapolitani, ad quos suppetias iverunt, infecti evasere; ab utrisque vero Franco-Galli, quibuscum illo tempore bellum erat, contaminati, celeri e contagione fuere; en per hos tres populos brevi reliquum Europae et Asiam et Africam gradu giganteo conflictari.

Characteres generales erant sequentes: Pallor, tristitia, ulcuscula ad pudenda, pustulae crustosae per cutem a milio ad achorae magnitudinem augendae, siccae vel pingues, lividae, albescentes, rubrae, paucos post dies erumpentes, exulcerationes carnes et ipsa ossa fodientes; palatum ipsum, velum palatinum, fauces, tonsillae, labia, nasum, pudenda erosa ad distructionem usque, gummositates per membra sectae humorem ipsum edentes; dolores diuturni crudelissimi, noctu praecipue ferociores per lacerta; haec omnia vel sola, vel simul juncta, longiori vitae molesta, vel membra omnia languentia, macies corporis universa, ullo desiderio cibi, ullo somno, sed moeror, iracundia assidua, desiderium decubitus, facies et crura turgentia, quandoque et febricula quaedam continua: a nullo medicamine auxilium.

II. Ab anno 1514 ad 1526.

Perstabant haec eadem vehementia, sed duae formae adjungebantur, nempe exostoses ad ossa cum carie plerumque, et excrescentiae (verrucae, pori, clavi) ad genitalia.

III. Ab anno 1526 ad 1540.

Ferocia morbi aliquantulum cedebat, sed duae aliae formae in scenam veniebant, idest Bubo, Alopecia.

IV. Ab anno 1540 ad 1550.

Adhuc temperari visa sunt phaenomena sed Gonorrhaea virulenta palam sese fecit.

V. A 1550 ad 1610.

Tinnitus aurium superaccedit, praecipue in morbo valde confirmato observandus; quod forsan de exostosibus internis in canali carotideo suspicionem injicit.

VI. A 1610 ad 1630.

Crystallinae vesciculae (aphthae) ad genitalia adjungebantur.

VII. A 1630 ad 1748.

Multa evanuisse videntur ut prolapsus oculorum, dentium, nasi; caetera rariora et valde mitiora fieri ut gummuta osteatomatosa et ateromatosa, alopeciae, pustulae crustosae, caries, ulcera maligna, palati, columellae, narium et dolores nocturni; in summa supererant gonorrhaea, bubo, ulcuscula cancerosa, verrucae, imo utplurimum morbus in sola gonorrhaea praesertim consistebat nisi negligeretur; gonorrhaea autem diaeta et congruo regimine persaepe alia remissiora et cura mitiori fugabantur, ita ut auctores putarunt cito effugi, vel in alios morbum transire, vel nec amplius contagiosum adparere.

VIII. A 1748 ad nos.

Morbus omnibus suis formis quae permulta sunt et numero valde majori ac enumerata indole potius contagiosa novitus sese expandit ac incruduit; a medicinae imperio verum saepissime profligandus.

DE DECURSU QUOAD ORGANISMUM

Observare hic oportet:

a) Temporis spatium ab acquisitione usque evolutionem.

b) Stadia quibus persolvitur syphilis tum localis tum universalis.

c) Transitus ad universalem.

Quoad tempus adnotari debent argumenta ut lues venerea contrahatur, quae ad haec praecipua reducuntur.

1. A parentibus acquisita.
2. Per aerem.
3. Per attactum immediatum
4. Et mediatum.

Adnotandum quod hic de acquisita et de spontanea a causis cognitis, idest relativis, semper syphilide loquamur, nam spontanea absoluta indeterminatum habet tempus.

An foetus a parentibus syphilidem acquirat adhuc dubium perstat, hinc licebit nobis observare quod si pater vel mater syphilide laboret, humores ex quibus quoad matrem foetus nutritur, et quoad patrem illius vita accenditur, puri esse nequeunt; quod si experientiae per sanguinem institutae demonstrarunt illum immunem semper e contagio exire, hoc non de spermate asseri potest; praeterea experimenta in sanguine venoso principiis destituto tum nutritionis, tum excretionum instituta fuere.

Conceditur vero ex genitoribus phthisicis, apoplecticis, scrophulosis, dyscrasiacis etc. persaepe eadem progenies exoriri; quidem in horum sanguine quid peculiaris observandum accidit ?

Si vero affectione locali sub momento conceptionis pater praecipue conflictetur, an negaremus cum spermate blennorrhoeam in utero ingredi? si mater, vasa lymphatica partium genitalium non inter se communicant et ad glandulas mittunt?

Praeterea si per absorptionem syphilidis ab locali ad universalem transferatur immunis foetus evadet?

Si vero vel sub graviditatis decursu, vel sub partu existat, praeter absorptionem, opponemus foetum proprio muco obvolvi? Inter remedia palliativa quid valuit pinguedo in hominibus.

An per aerem syphilis acquiratur ab omnibus negatur; nam contagium est fixum. Cum vero (mihi plus quam liceret liceat) observemus omnia non tam contagia suppurativa, uti variolae, phthisis etc. sed omnes morbi effluxus per aerem admittere quod ab odore Aularum hospitiorum clausarum comprobatur; cum insuper myasma tam sit divisibile ut et per minima lymphatica absorbeatur, ita effluvia contagiosa syphilidi negare non auderem in aulis praesertim; hoc magis apparebit relate ad illa quae cum de attactu immediato pertractaretur, demonstrabimus Hinc et mora in loco syphiliticorum et in eodem lectulo praecipue summa cum circumspectione fiat.

Omnia loca cuti subtilissima obtecta et mucosis praedita, vel etiam cuti detecta, syphilidis atria sunt: hinc partes genitales per coitum, os per oscula, lactatum, vel alio modo, oculi, nares, forum ani et vulnera omnia, vel simplices excorationes; denique attactus simplex ad loca haec sufficit. Caveat ergo Chirurgus et Anatomicus ne innocenter affligatur; quae omnia ita sunt universalia ut omnis demonstratio inutilis evadat.

Indirecte, per vestes, instrumenta etc., idest per materies inorganicas, quae veneno syphilitico imbuta sunt, illo affici possumus. Natura vera contagii hujus, uti aliorum omnino est ignota; tamen cum ab experientia constet omnia contagia et indirecte adplicata acquiri, ita de syphilide concessum sit, quapropter obstetricans, chirurgus etc. summa utatur cautela sub instrumentorum usu, etiamsi tempore valde distanti hoc fiat.

Ab acquisitione ad momentum quo in organismo manifestatur intervallum est incertum; plerumque vero

si ad partes a cuticula mucosa tectas contagium adplicitum fuit ad octo, decem ad viginti et ultra dies protrahitur; si ad vulnera, citius nam ibidem praeter influxum contagiosum et illum mechanici corporis, ille quoque rerum externarum unde inflammatio sub his etiam tantum evenit, observatione est dignum. Stadia vero localis dividi possent in acutiem et chronicitatem; illam plerumque ad mensem, hanc ad annos etiam perstringitur, sed quoad formas aliqua habetur distinctio. Quod vero cum de natura et formis loquemur clarius et magis determinate patebit. Hic tantum adnotetur syphilidem universam praecipue plures etiam annos in organismo latere posse, quin ullum manifestationis indicium praebeat, quod explicare nequimus nisi per influxum causarum disponentium et occasionalium ad organa et systemata illius potestati subjecta. Si per fluxum humorum vel aliam formam localem, syphilis externe appareat, hae persaepe sub stadio chronicitatis innocua fit, cujus ratio cum de natura loquemur clara videbitur. Persaepe anni cyclus transit ut syphilis postquam localis fuit universalis pateat, sed quo citius illa supprimatur, haec adparet et fere semper in relatione etiam vehementiae et longaevitatis stadii primi decurrit. Non raro vero accidit ut vel sponte, vel artis auxilio localis, et generalis destructa adpareat, et post annum, saepissime sub formis iisdem, in scenam redeat, quod nobis dictat posse symptomata silere, quin morbus deleatur, vel fermentum semper in organismo manere et producta tantum destrui, vel potius in organis et systematibus talem modificationem (impressionem) efficere ut sub iisdem organismi, anni, temporis modificationibus (certe non parvis) vel causa alia interna vel externa inductis, iidem effectus eveniant. Hoc non est rarum si adsint revera morbi aliqui etiam non contagiosi et cutanei praecipue qui periodum temporis anni servant.

Decursus vero quoad organa et systemata valde inconstans est. Diximus glandularum systema praediligi, sed adnotandum tantum mucosum, et lymphaticum. Quod si glandulae conglomeratae non jam vel difficillime a syphilide afficiantur ratio clara patet cum ex vasis sanguiferis praecipua illarum compositio constet. Observatum enim est sanguiferum systema non ab

illa invadi. Quod etiamsi invadi admittamus tum propter sanguinis continuum intimum et externum motum, tum propter illius extensionem, tum propter conatum sanguinis ad omnia ejicienda haeterogenea, nullo vel levi tantum modo sanguiferum systema ab illa obruatur. Sanguis vero in syphiliticis quamplurimis cotennosus ex vena extractus valet ad influentiam exaltationis syphilidis probandam. Cujus vero influxum in glandulas conglomeratas non negamus, difficillime tantum contingere asserimus.

Hinc decursus clarius patebit cum organa transmissionis vel depositionis observabimus, et semper loca determinata invasa. Ita a loco infectionis primitivae ad glandulas contiguas secundarie transfertur. Et constitutionalis facta est cum in loco longinquo, vel integro systemate appareat; ut ad guttur, osseum systema et derma praecipue; absque vero ordine definito.

Monendum tandem est in aliquibus individuis syphilidem universalem quin prius localis fuerit, adparere, quod nisi per energiam absorbentis systematis explicari posset.

DE SYPHILIDIS NATURA

Si de origine non minus de natura Medici certant, hoc et jure cum prognosis et methodus medendi exinde fundamentum obtineant. Sed praecipuis opinionibus perlustratis, clare sequentia elucent.

a) Syphilidem contagiosum saltem esse morbum;
b) Omnia atria ubi adplicatur inficere;
c) Formis vel saltem symptomatibus vitae exaltatae sese manifestare;
d) Determinata, sed non propria symptomata habere;
e) Principium sui generis includere;
f) Organis et systematibus vitae vegetativae potius quam animalis infensum esse;
g) Facilius cachexiam producere.

Quae omnia nunc recensemus.

a) Et primum quoad contagiosam syphilidis naturam inutilis sermo fit, si omnibus temporibus, experientia latissima duce, talis admissa fuit. Tantum observandum hic non omnia individua ad illud suspiciendum disposita esse, sed, quod male, quaenam magis, quaenam minus, vel non disposita sint, determinari nequit. Lymphaticae vel scrophulosae constitutiones revera magis obnoxiae adparere deberent, quum systema primum quod afficit glandulare esse innotescat.

b) Sed et nullo atrio parcit. Qua de re fas sit deducere: in universali constitutione adesse materiale principium, qui sub parva etiam fermenti quantitate in - et extensione valde observabili se se manifestet et reproducat; vel, ut placet melius, tali vi organis infesta praeditum contagium sit

ut laesiones magnas molecula etiam minima valeat afferre.

c) Quod si ad ejus phoenomena attendamus variis hypothesibus venia conceditur; ast cum non tam ipsa, sed et conditio morbosa et effectus, et sequelae sub oculis habeantur, minus incerta judicia deducuntur. Ad quod nos tendimus, prius aliquibus circa conditiones morbosas generalibus relatis.

Et primo inflammatio est processus organico-chaemico-dynamicus, per quem organica materies ad novas organicas efformationes cum sui destructione tendit. Unde organorum functio non tam adaucta, sed et alterata esse debet, quae alteratio in nervis organicis et praecipue residet; humor generalis, in quo praecipuus fons vitae existit, non tam in motu suo sed in intima vita sua (vitalitate) debet exaltari, ut exinde compositiones et decompositiones chaemico-bioticae enasci, ex quibus producta sui generis, calor, tumor, rubor, generatim loquendo, adaugeri et dolor adparere debet. Generatim dixi, nam juxta gradum, organa, systemata varia, eorumque et individui conditionem, inflammatio sese manifestat, varia edit producta, et varios exitus, nec non sequelas gignit.

Distinguimus ergo facilius sequentes conditiones morbosas: 1. Inflammationem quoad organa, textus, etc., sub symptomatum et sub productorum respectu; 2. Producta sic dicta parasita; 3. Irritationem; 4. Congestionem; 5. Resolutionem.

1. Quoad textus varios variae habentur inflammationis formae; dolor acutus in membranis fibrosis, ex. gr. peritonitis, pleuritis, meningitis; obtusus in mucosis ex. gr. bronchitis etc., fere nullus in vasis sanguiferis, ex. gr. arteritis, pneumonitis etc., intensus in textu cellulari, ex. gr. phlegmones etc., et nullus in cute, ex. gr. dermitides etc., qua de re non refutanda inflammationis opinio si dolor non observetur. Quod de dolore, ita de calore, colore, tumore asseritur, et quod aliquando, loco doloris, variae sensationes juxta facultates sentiendi textuum et organorum habentur. Color ita in textubus valde stipatis parum in inflammationis proportionali quantitate alteratus tibi adparet si oculo nudo respicias, et ea de causa et tumor et rubor non tam ma-

nifesti. Natura ast semper immensa, et hic provida est, nam dolorifica praesertim sensatione hisce defectibus, dum in textibus, uti ita dicam, humoralibus, abundantem secretionem explere est conata. Cum ergo alicujus organi inflammationem statuamus ad naturam textuum ex quibus componitur respiciendum. Cavendum vero ne speciatim, in quasi dicam insensibilibus, quoad intensitatem, inflammationibus pro alia conditione morbosa deponatur, et vireversa. Hic autem qui inflammationem in omni alteratione textuum dignoscunt sese defenderent, nisi et exitus essent respiciendi et qualitates humoris. Sed si varia sint producta ad organa relativa, in inflammatione genuina nullum genuinum est productum. Quoad nos vero sufficiat statuere quod inflammatio a quamplurimis aliis organismi morbosis conditionibus differat. Cujus primus character in mutanda partium organisatione consistere videtur.

Potest tandem quaestio adesse an omnes textus et organa inflammationi obnoxia sint: cui respondemus; inflammatio est conditio vitae; omnia ergo quae vivunt illa corripi queunt.

2. His positis, producta sic dicta parasita vel parasitica, ea nempe quae in aliquo organo absque ullo phoenomeno, praeter illum voluminis, enascuntur, qua exitus inflammationis dignosci queant et debeant? Nisi possibilitatem depositionis in aliquo textu materierum exuberantium, in compositione ita complicata organismi et therapia antiphlogistica frustra in usum tracta, sufficiant, modum quo sese evolvunt, situm et relationem cum aliis partibus ad quaestionem definiendam influunt. Potest revera et inflammatio parasita nec non parasitica edere producta, sed haec semper cum illa in intensionis saltem relatione videntur. Nescimus sane quomodo hoc eveniat, sed si omnia non intelligenda refutamus, quantis factis credimus?

3. Quid sibi velit irritatio liceat nos definire tantum actionem vel functionem partis solidae non jam liquidae, organorum adauctam, et dividimus in activam et passivam, vel directam et indirectam. Respiciet ad actionem si motus animalis, ad functionem si motus organicus adaugeatur; erit directa si ex exuberanti organorum et systematum energica harmonia

insurgat, ex. gr. in morbis hyperstenicis; indirecta si ex deficienti energia harmoniae unde aequilibrium inter actiones et functiones tollatur, ex. gr. subsultus tendinum, convulsiones, cardiopalma a jactura humorum supervenientes. Quamplurimae insuper quoad causas exstant, quae semper ad has divisiones referuntur, uti differentiae innumerae relate ad organorum et systematum et textuum naturam observari debent.

Hac doctrina admissa, en quamplurima phaenomena explicata, en diagnosis, prognosis et, quod non minus interest, therapia innumerabilium morborum statutae et vitae aegrorum solido fulcro adstrictae ....

Revera vitae animalis morbi permulti, uti convulsiones etc., motibus vel vitae sensiferae vel irritabilis exacerbatis debentur; abundantia se - et excretionum, dum propriam non amittunt naturam, irritationi tribuitur, uno verbo simplex actio nervorum, quae ex majori forsan libertate et inde motu nervei fluidi pendet, exuberans adparet. Hinc non mirandum si sub statu etiam omnino contrario inflammationi irritatio adsit; cui assertioni favet etiam dynamica et mechanica relatio inter organa et systemata et textus, nec non influxus physico-chaemicus causarum externarum. Hinc non amplius mirandum si adsint sympathiae et antagonismi. Nec mirandum tamen si inflammatio ex irritatione exsurgat, cum in inflammationibus non exigua pars sit nervis tribuenda, praecipue si in vasculare systemate, vel in organis vasis sanguiferis praeditis, vel in activa irritatione hoc accidat. Adsunt revera textus qui inflammationem sub irritationis forma exprimant, vel in quibus tantum irritatio allignare possit? Hanc thaesim, praeter dicta a posteriori, usque defendere queo, observando nempe quod antiphlogistica cura etiam energica minus valeat quam remedia simplicia quae irritationem infringunt, uti sedantia, diaphoretica etc. In irritatione vero indirecta imo roborantibus, nutrientibus est necesse. Hinc non amplius coactus est medicus qua deprimentia ea, quae roborantia et nutrientia sunt, admittere: hinc non miretur si antiphlogisticis minus valeat eas affectiones, quas parvas vel lentas inflammationes vocat, infringere; hinc tandem quomodo aliquando antiphlogistica et evacuantia localia roborantibus et nutrientibus universalibus

sint copulanda etc. Et hic locorum ut de asthenia quidquid proferamus accidit, haec una semper est et a deperimento vitalitatis tum humorum tum organorum pendet; quaeque a variis causis procedere potest et pro sequela inflammationis et irritationis habendam esse.

4. *Congestio.* Sub congestionis nomine intelligimus statum organorum et systematum per quem majorem humorum copiam quam ab illorum natura concessum vel requisitum sit contineant. Congestio si de sanguine, infarctus si de lympha loquatur, vocanda est. Est activa, vel passiva. Activa si concursus major ad determinatum organum sanguinis fiat ex exaltata illius actione, quae indirectae epithetum moerere potest. Tunc fit ut facilius qua corpus inorganicum sanguis illuc stagnet, et decomponatur; functionem vitae intimae et chaemico-vitales processus alteret, ergo productum congestionis idest inflammatio, et hujus producta exsurgunt; qua pejora sunt si et sanguis in sua vitalitate exaltatus sit, et tum directa est congestio. Sed sanguis aliquando majori conatu ad aliquam partem dirigi per potest influxus alius organi, et en consimiles effectus ad actionem functionem et reactionem organi proportionati, et proinde congestio passiva indirecta est. Tandem organon fere iners fieri et sanguis inalterato suo cursu et vitalitate ad illud afferri, ex quo congestio passiva genuina. Quo in casu dum sanguis exaltatus sit in sua vitalitate non vero in actione organon aliquid emolumenti trahet; at difficilius haec congestio continget. Hac divisiones tum pro praxi tum ad prognosim, tum ad curam valde conferunt.

Adest autem alius status morbosus qui non tam ab organismi quam ab potentiarum physico-chaemico-mechanicarum influxu pendent; quae uti *Processus resolvens* a nobis nuncupatur uno verbo.

Resolutio: conditio idest illa per quam materies organicae potentiarum physico-chaemicarum sub ditione tenentur ita ut in principia chaemica reducantur.

Hujusce status conditio valde a causa diversa differt.

Non negamus ut effectum inflammationis et etiam ut causam illam existimare; sed concedendum adhuc est a causis adynamicis, et uti ita dicam neutris imo pendere.

Hinc quomodo non soli inflammationi, vel dynamicae, conditioni omnes morbi sint tribuendi clare adparebit.

Et revera ut de inflammatione judicium exsurgat, reactio organismi adesse oportet, et stadia aliqua, temporis periodorum aliquorum imperio subjecta, admitti debent. Praeterea quam inflammationem absque organico producto concipere possumus? Quod si de aliqua corrodenti substantia, de igne ex. gr. loquamur, hae conditiones eveniunt? Et jam harum circumstantiarum causa textus aliquando inflammantur, sed textus qui vigent non qui destructi fuere, textus circumambientes dicam, qui reactionem organismi universam ostendunt, conatus naturae ad jacturas reparandas etc.

Ad conclusionem ergo stabiliendam, quoad causas species resolutionis judicemus:

1. Ab inflammatione.
2. A chaemicis substantiis.
3 Ab adynamia.

1. Vidimus inflammationem ad novas tendere organicas formationes, materiem organicam primitivam destruendo. Cum hac vero et vim vitalem possit labefactari et etiam destruere, quae tum intensitate, tum extensione, tum tempore quoad textus, organa, systemata, organismi conditiones, ex. gr. aetatis etc. differens est. Unde et ulcera et fistulae et cancraenae et inferioris, vix organici ordinis, producta exsurgunt; quae, praedictis, cum aliqua irritatione vel inflammatione textuum circumstantium, et propter ipsius novae efformationis substantias et propter rerum externarum influxum, copuletur. Quis neget causam inflammationem fuisse? at quis neget conditionem resolventem, destructivam esse? et Therapia antiphlogistica advocanda, sed et roborans, et sic dicta neutralisans physico-chaemicorum substantiarum *influxum-sarcotica* etc. An omnes uno eodemque tempore? an non? quando una magis, altera minus? Hic medici sapientia viget, usque nunç ars, ultro illa. Quot victimae sine hoc?

Subdivisio in *directam* et *indirectam* resolutionem non esset incongrua; hanc cum adhuc actione et reactione inflammatoria; illam tantum cum reactione et aliquando parvam adesse putamus.

2. Chaemicae substantiae sunt: corrosiva, ignis etc. destruunt absque tempore reactionis; est hiperstenicae vel astenicae indolis? Cum tempus ab illius natura ad therapiam instituendam non remaneat quid dicendum? Ego *neutram* voco, *destruentem* si melius placeat. Effectus autem sunt inquirendi qui vitae exaltatae signaque praebeant, sed praeter supradictas distinctiones cum de causa ab inflammatione locuti sumus observandus hic gradus et natura substantiae ipsius, idest compositio; quae substantiae vero in *organicas* et *inorganicas* dividuntur, nec non, organa, textus respiciendа sunt etc.

4. Quis tandem ab adynamica conditione substantiarum organicarum destructionem contenderet? Cancraena senum an vitae exaltatae, si vita ad extinctionem tendat, tribuemus? Certe quod semper medicina jacturam ploret . . . . Sed ego vidi casum ubi calefacientibus, nutrientibus, roborantibus evincebatur. Ab inflammatione aegri pereunt. Concedo partem a morbo irritativo, imo uti melius dicam, nervoso propter directum influxum materiei cangraenosa in nervos.

Quomodo autem quoad syphilidem res se habeat non difficile deducitur: cum causa principium non tam haeterogeneo quam corrodenti sistat.

Ad formas ergo respiciendo, nonnullae indolis inflammatoriae, aliae irritativae, aliae congestivae sunt, quoad clarius in divisione affectionum distinguimus.

Nunc vero pro exemplo blennorrhoeam assumendo, quis asseret eam ab inflammatione textus mucosi pendere, cum persaepe absque doloribus et luminis uretrae augmento perduret? maxima vero laesione oporteret ut tanto tempore quo fluxus perdurat, productus suppurativus haberetur: adde quod extemplo aliquando irruit, aliquando absque incommodo ullo, vel ad aliam partem sese transferendo, sistit; adde quod, in aliquibus individuis, calefacientibus curetur; quod certe ex dictis cum irritatione quadrat, color revera flavo-viridis novus in irritationibus membranae mucosae non apparet, quique vero nostro in casu, uti infra videbimus, contagioso principio pro maxima parte debetur. Sed quod magis valet est ratiocinatio. - Ignoramus vero naturam contagiosi principii, sed scimus quod omnes substantiae haeterogeneae qua corpora irritantia in or-

ganismum agant, ea de causa quia prius systema nerveum debet ab iis affici ut illud in quo praecipua facultas vitae sistit, ut instrumentum necessarium ad nos monendos de rerum existentia. Hoc clare adparet si in oculum corpus haeterogeneum ingrediatur, nam statim functio exaltatur et nonnisi irritationis phoenomena adparent. Progressu temporis vero et inflammatio exsurgere potest. Quod si syphilidi inflammandi facultatem tribueremus, non vero ulcera causticis semper irritantibus curaremus. Cujus affectionis irritationem si facile ad inflammationem transeat nemo negat.

In nervea potius actione vitae vegetativae syphilidis conditio habenda est, ex quo humores potius quantitate peccant semper illa mixtione cum substantia contagiosa, quae irritationem conservat, admissa. Hac de causa aliquod post tempus morbus contagiosam indolem plerumque perdit.

Quae sententiae generatim tantum admittendae sunt. Adsunt enim innumerae differentiae respectu habito individuorum eorumque status, clymatum, vitae, generis etc., quibus de causis omnes morbi modificationes et etiam essentiales subeunt. Non mirandum praeterea si modo inflammatorias, modo adynamicas, modo nervosas, modo cachecticas etc. gangraenosas, depascentes, phthisicas formas syphilis sumat vel comitetur iisdem.

Quae differentiae vero eo magis in morbo hoc considerandae venient, quo tum magis illius multiformis adspectus, tum varietas tantum qua invadit, rationes, tum causa ipsa, idest myasma, quod variare potest quoad aetatem, progeniem suam etc. observentur. Quibus positis clara adparet ratio omnium auctorum etiamsi diversimode imo ex opposito de syphilide opinati sint.

Ast de causae proximae parte tantum usque nunc sumus locuti quae jam tamque effectus causae efficientis in organismo usque dum morbus deleatur, et ultra persistens est recensenda. Haec causa efficiens est contagium quae aliam partem causae proximae, cum etiam efficiens sit, constituit. Ad hoc explicandum, recordemur myasma fermento tantum efformari, et morbum non primo illo contactu exsurgere, unde opus est per

aliquam elaborationem fieri, per quam productum illi similis evolvatur ad quod materies ex humoribus tantum repetenda est; nam ex simplici organorum irritatione abundantia materiei contagiosae exeuntis ex tam parca illius copia in organismum illatae explicari nequeat. Hinc myasma unum, humores organici factorem alium constituunt, ex quibus productum et ex hoc irritatio. Haec duo ultima autem elementa morbum revera efformant. Ex adparitione autem praecipua et frequentissima phoenomenorum primae invasionis constat systema glandulare praediligi et hinc humorem glandularum praecipue mucosarum et lymphaticarum huic efformationi praestare. Sed quomodo hoc fit? Hoc est mysterium, et sicut in mysteriis hypotheses conceduntur, ita nobis unam fas sit exponere, quae admissioni animalculorum innititur; hinc quum organismum introiverint, pascuntur, germinant, novi perficiuntur, en tempus distans inter acquisitionem et explosionem morbi, en tanta morbi perstantia, facilis reproductionis causa, en per mercurium omnibus animalibus infensum destructio! En tandem cum organon illam vim propriam normalem materiem reproducendi perdiderit fluxus per astheniam continuat contagii facultas cessat.

d) Per determinata symptomata, sed non propria syphilidem sese manifestam reddere probatur ex quo, quoad facile suspicatur raro determinatur morbos syphiliticos esse.

e) Myasma syphiliticum non cognoscitur; ast si aliquid judicandum de natura hoc esset indolis corrodentis. Cui assertioni et ulcerum adparitio et decursus, et dolorum natura idest rodentium et laesiones in ossibus ut caries, formae vero concomitantes vel subsequae irritationis vel inflammationis nisi quam effectus sunt et reactionis formae ut demonstravimus.

f) Quod organis et systematibus vitae vegetativae potius quam animalis infensus hic morbus fiat probatur ex systematis ipsius glandularis et lymphatici praedilectione, qua vitae vegetativae est centrum, ex quamplurimis vitae vegetativae et fere nullis vitae animalis phoenomenis quibus sese ostendit, ex tandem ipsa sua proclivitate ad destructionem organicorum textuum.

g) Si cachexiam denique producat, ex omnibus relatis

nullum dubium remanet, dum et si glandulare et lymphaticum systema perturbetur humores nequeunt puros exire et hoc praecipue cum fere nullo organo vel systemati parcat, vim corrodentem ostendat, quum revera diuturnitatis charactere vires exhauriat. Hinc homines qui a longo syphilitico universali morbo detinentur, constitutionem laxam, debilem, facile morbis obnoxiam; facile vulnera ad suppurationem tendunt; colorem flavo-terreum, vere cachectium praeseferunt.

MORBI
SEU FORMAE SYPHILIDIS

Morbi syphilitici in primarios, secundarios, et constitutionales dividi queunt. Quibus syphiloides adjungere bonum putamus.

De morbis primariis.

Morbi primarii syphilitici illi nuncupantur, qui immediate in parte organismi qua contagium adplicitum fuit exsurgunt. Nisi haec conditio adsit, primarios vocari nequeant, nam eum primariis, secundarii et constitutionales sub datis casibus confunderentur. Hi sunt:

I.

Blennorrhoea.

Intelligitur fluxus mucosus, vel purulentus, vel sanguineo-purulentus membranarum mucosarum: dividitur in acutum sive blenorrhagiam et chronicum sive blenorrhaeam proprie dictam, quae qua causa proxima et primariam irritationem membranae ipsius agnoscit. Omnibus ex locis ubi membranae hujuscemodi adsunt, haberi potest: ita ex glande, uretra, ano, labiis majoribus, nymphis, vagina, utero, ore, oculis, naribus, auribus, unde nomina propria acquirit.

Duo stadia plerumque, idest acutici et chronicitatis, sed aliquando unum tantummodo, celebrat.

Stadium primum cum ardoris sensu, dolore punctorio, calore adaucto, colore rubro manifestatur. Si vero de hominis pudendis loquamur aliquando cum

priapismo et chorda; si de foemina cum tumore et duritie magnorum labiorum; et per antiphlogistica localia curatur, raro vero perfecte: haec omnia sub initio vel non adparent, vel aliquando levissima sunt propter facilem transitum ad secundum stadium. Stadium secundum a simplici fluxu efformatur, parum ab antiphlogisticis obtinetur, valde ab astringentibus et tonicis et solventibus, mercurio praecipue. Uti supra adnotavimus stadium acutiei ab irritatione partis, qua causa proxima, constituitur; quod probatur ex adparitione ipsius fluxus statim et phoenomenis hypersteniae, nam si qua suppuratio, fluxus esset admittendus, phaenomena elementaria inflammationis praeesse debuissent; a quantitate fluxus, qui non tanta copia ab inflammatione haberetur et laesionem maximam membranae mucosae sociam habere deberet; ab observatione quod et extemplo aliquando aufugit et aliquando a phlogisticis curatur; ab analogia tandem cum ulceribus, nam prius in iis destructio partium quam phaenomena reactionis observantur; unde etiam in membrana mucosa actio primaria resolvens est dijudicanda quae diversimode quoad circumstantias neutra reducitur. Sed et inflammatio hisce de circumstantiis gemina enasci potest. Quomodo autem productiones abnormes, qua exitus, aliquando remaneant, etiam sine inflammatione, infra demonstrabimus.

II.

Rhagades, Excoriationes, Ulcera, Aphthae.

a) Rhagades sunt fixurae plus minusve profundae membranarum mucosarum, originis remotae, ex quibus aliqua materies puriformis secernitur. Sufficiunt aliquando detersio et *filaccica* ad curam.

b) Excoriationes sunt superficiales cuticulae decorticationes, unde derma detectum remanet. *Filaccica* et detersio plerumque omnem curam explent.

c) Ulcera sunt solutiones continuitatis majori extensione et profunditate, originis remotae, in quibus materies organica cum producto liquidi purulenti destruitur.

d) Aphthae sunt parva ulcera, albicantia, superficialia. Hae formae facillime ad ulcera transeunt. Utimur nitrate argenti et *filaccica* cum optato effectu.

Possunt *ulcera* sub quatuor stadiis vitalitatis inveniri, nempe:

1. *Erethismi;* sub exordio plerumque cum nondum materies organica, nec vis vitalis validam ad reactionem conatur; fundus est rubeolus, margines naturales, areola nulla, com lapide infernali plerumque ad cicatrisationem ducuntur, quod certe infestum evaderet si verae inflammationes essent.

2. *Inflammationis;* fundus est rubens, materiem puriformem edit, margines sunt elati intersecti, areola rubra. Cura sit antiphlogistica omni numero.

3. *Ipersarcoseos;* fundus materie spongiosa obtegitur, margines sunt callosi, areola livida indurata. Cura sarcotica, conditio irritationis relativae clare patet.

4. *Ipostheniae;* omnes partes sunt flaccidae livido-obscurae ad nigrum tendentes, ita ad cancraenam, mortem. Irritantibus et roborantibus cura fulcitur.

En antea dictis et hujuscemodi laesionis ratio.

Ad exitum vero ulcerum est respiciendum, nempe: *a)* cancraenescentiae, *b)* detersionis, *c)* cicatrisationis. Primus detersionem repetitam et antiphlogistica emollientia summopere exquirit; secundus curam mixtam idest irritantem pel *filaccica* et emollientia; tertius siccam et saepe propter abnormes vegetationes sarcoticam.

De morbis secundariis.

Secundarii morbi syphilitici illi vocantur qui in loco ab attactu contagii plus minusve remoto, vel in loco ipso, qua effectus ,manifestantur, influxum semper localem tenentes.

I.

Phimosis et Paraphimosis.

Phimosis est maxima praeputii constrictio ad glandis coronam, unde penis capistratur quod ab inflammatione praeputii violenta dependit.

Paraphimosis idem est morbus, ast ad coronam glandis existens et praeputium inter se ita constringitur ut urina exire nequeat.

Symptomata omnia illa inflammationis phlegmonosae sunt aliquando cum ipso oedemate acuto; ex quibus omnibus in textu cellulari residere plane videtur. Cura antiphlogistica energica, scopo symptomatico; in extrema necessitate sectio chirurgica, sed summa cum cautela et sectio bullae quia facilis est transitus ad cancraenam.

II.

Vaginitis, Penitis, Orchitis, Epididymitis.

Funiculi spermatici inflammatio. Sunt inflammationes quae ab aliis non differunt.

III.

Producta Abnormia.

a) Condylomata, *b)* Verrucae, *c)* Cristae, *d)* Uretrae concretiones, vel et vaginae.

a) Condylomata, sunt molles, indolentes, et corneae excrescentiae, quae plerumque prope orificia pudendarum et partem inferiorem intestini recti exsurgunt.

b) Verrucae, sunt excrescentiae cutaneae, rugosae in superficie, latae in base, quarum radices in spissitudinem pellis per filamenta albidula, spissa, semifibrosa, multiplicatissima profundantur.

c) Cristae, excrescentiae sunt fimbriosae, quae circa anum, vulvam et basim glandis evolvuntur, quae quoad formam vario modo nominantur, ex. gr. crista galli, framboesia, pyri etc.

d) Urethrae vel vaginae concretiones, sunt excrescentiae vel hypertrophia membranae urethrae internae, quae ex difficili urinarum transitu, idest, ischuria, dysuria, stranguria et harum effectubus, nec non ex cathetere dignoscuntur; si vaginae sint, facilius per digitos.

Cura in amputatione et aliqua substantia corrodenti super vulnera qua resolvens, nam facilius reproducuntur, consistit. Ex hoc vero confirmatur quod in pro-

cessu peculiari ab inflammatione differenti, consistant. Cui rationi et ratiocinatio adjungitur; nam exuberans fluxus stagnatio absorptionem solummodo partis tenuioris concedit, unde aliquod productum remanet quod, processu peculiari, naturae organisationem propriam assumit. Revera quomodo per inflammationem, verrucas in digitis, aliqua parassita, ut ex. grat. tumores cysticos explicamus ?

IV.

Ulcera, Aphthae.

Ulcera haec a primariis non distinguuntur nisi quod obstinatiores et irritatione indirecta comitata adparent; in quae cura solummodo specifica potens sit.

Aphthae, sunt parva ulcera, albicantia, superficialia, mucosas adficientes.

V.

Bubones.

Sunt infarctus glandularum et proprie illarum superficialium inguinis cum inflammatione. Ad hos, omnes glandulae et lymphaticae pudendarum, nec non partium circumstantium confluunt. Non negandum quod omnis inflammationis signa bubones praebeant, sed hoc post infarctum evenit; quod jus concedit ad inflammationem qua tantum infarctus effectus existimandus. Qui infarctus in ipsis glandulis eminenter evenit ob dispositionem anatamicam, ob influxum physiologicum, cum tot humores ad illas occurrant, ob irritationem ipsam a myasmate productam. Nam aliunde concipere nesciremus cur cum humor syphiliticus evenisset non ultra progrederetur, cur tam rara sit lues post bubones, cur tam persistentes hi sint, cur textus vasa tantum circumambiens inflammetur et cur tandem in aliquibus individuis universalis lues absque bubonibus insurgat. Cura si possibile fit sit resolvens, nam sectio facillime et fistulas et cancraenas gignit. Certatur a Medicis an bubones primarii vel secundarii, an locales an constitutionales sint; ab aliquibus ut media tantum transmissionis ex locali ad universalem te-

nentur. Facile quaestio solvitur: conditio mutata quoad circumstantias adest.

VI.

Fistulae, Sinus.

Fistulae, sunt solutiones continui majoris longitudinis quam luminis vasorum aut cavitatum ex quibus vel humor naturalis, vel humor purulentus, male olens, albidus, degeneratus effluit.

Sinus, cavitates tortuosae in spissitudine carnium absconditae cum canalibus fistulosis communicantes, materiem purulentam edentes; persaepe vel ulcerum, vel fistularum effectus. Hac affectiones non raro chirurgicam therapiam repetunt, raro vero absque specifico curantur; sunt bubonum vel orchitis persaepe effectus.

Morbi Constitutionales.

Syphilis constitutionalis tum dicitur cum textus vel systemata ita afficit, ut per circulationem universalem transivisse existimetur. Sunt:

1. Systematis lymphatici: humores glandularum, qui indeterminatim glandulas plus minus longinquas afficiunt.

2. Mucosi gastrico-pulmonalis: laryngis ulcera, tussis bronchiorum, phthisis.

3. Fibrosi; periostitis, dolores osteocopi, arthritides, rheumatismi.

4. Ossei: exostoses sive tumores osseae naturae, qui in superficie vel cavitate ossis evolvuntur: necroses sive cancraenae, seu mortificationes ossei textus; caries idest ulcera ossium ab inflatione, abscessubus, fistulis, sanie praecessis, tophi, seu concretiones in superficie articulationum, gummata, excrescentiae molles, abscessus frigidi, qui pendent persaepe ab exitu periostitidum.

5. Serosi: peritonaei, pleurae, pericardii, hydroceles, hydrartroses, hydropes ascites, hydrothoraces, hydropericarditis, cardiopalma, arteritis.

6. Nervei cerebro-spinalis: debilitas facultatum mentis et corporis, paralyses, epilepsia, hypochondria, mania, amaurosis, cophosis.

Quae, quoad diagnosim, si de causis loquamur a syphilide enasci valde probabiliter deducendum, si absque causa alia cognita vel praesumpta in scenam prodeant; si de symptomatibus, parum differentiae adest, dolorificae tantum affectiones vel magis, vel persaepe in nocte solummodo saevire observantur. Quoad vero dolores terebrantes, rodentes, ferissimae sunt ossium affectiones, aliquando lentae, aliquando extemplo adparent et absque malis sequelis, dum bene curentur, remittunt.

Ad quarum cura ars chirurgica sed caute est vocanda propter facilem transitum ad cancraenas; nec sine cura universali specifico praesertim instituta. Cujus legis ratio clara adparet, nam loca tali pacto affecta nonnisi depositionis morbi universi sunt in organismo vigentis; et curatio formae localis etiamsi eveniat, morbi curam non indicat. Hoc facile observatur cum rationem tot recidivarum inquirimus. Quot insuper morbi incurabiles observantur, qui paucis mercurii granis fugarentur! Tandem semper caute ferro vel igne est utendum, cum morbus syphiliticus sua natura corrodens, unde depascens per tempus totum organismum obruerit, illiusque vires labefactaverit; tunc vero est tempus roborantia, nutrientibus copulandi. Posset revera forsan primis temporibus syphilis sine specifico evinci, sed cum tantum organismi moleculas ingressa sit, cum ita divisa, subdivisa, assimilata, multiplicata universim sit, difficulter perfectis curis absque mercurio credam.

7. Cutanei: formae sunt sequentes:

a) Maculosa; idest exanthema et defoedatio. Primum colorem rubicundum seu rubeolam syphiliticam, flavam et livescentem praebet. Rubeola constat ex maculis rubicundis, parvis, irregularibus, formae non determinatae, sub pressione digiti evanescentibus de consueto truncum et extremitates occupantibus; est afebrilis et non pruriginosa, mutatur in flavescentem, vel lividam, levi desquamatione terminat.

Defoedationes, coloris flavo-rubicundi in medio magis expressis, subrotundae vel ovales, magnitudinis grossi ad imperialem usque; sub pressione imperfecte evanescunt, frontem libentissime amant, raro desquamatione deficiunt.

b) Papulosa, diversimode appellata ex. gr. pustulae siccae, pustulae miliformes, scabies venerea etc.; subdividitur in

1. Acutam; nodulis parvis, duris, conicis, cupreis constat qui cum febri et articulationum doloribus exordiuntur ad faciem, dorsum confluentibus, plagae adinstar. Post paucos dies desquamantur, vel evanescunt maculas brevi duraturas relinquendo.

2. Chronicam; potissimum extremitatum latus tensorum invadit; noduli sunt latiores, complanati, distincti, flavo-rubri; desquamatione plerumque desinunt.

3. Tertia adest species lentioris decursus quae per papulas bruneas aut livescentes manifestatur; aliae desquamantur excavationem rugosam relinquendo; aliae ad apicem suppurant et crustam efformant; remanent matriculae.

4. Lichenis circumscripti adspectum aliquando haec acquirit; sanatio in quavis plaga a centro peripheriam versus procedit ita ut aliquando medium exulceretur, aliquando ad peripheriam novae pustulae exsurgant.

c) Pustulosa.

1. Psydraciae pustulae magnitudinem vix exaequant, aliquando cum febri et doloribus scapularum et humerorum erumpunt, aliquando maculae praecedunt, confluunt coloris initio rubicundi; cum maturae sunt colorem fusco-rubrum praebent, figuram conicam, basim duram, aream cupream; apex lympham vel pus emanat; desinunt in ulcus; et tandem in cicatriculas excavatae, non raro sese reproducunt; ubicumque in corpore observantur.

2. Plyziacae, pustulae escharoticae Cullerier: sunt majores, quidquam complanatae, non valde pronunciantes, plerumque dispersae nucam et scapulam vel genas et mentum plerumque obsident, cicatrices excavatas relinquunt.

d) Squamosa; haec a nonnullis sola gemina efflorescentia syphilitica dijudicatur: sub formis:

1. Psoriasis; incipit ab eruptione macularum levium, splendentium, dispersarum, rotundae formae, coloris cuprei, plerumque caput obsidentium; post sex vel octo hebdomadas a sanatione ulcerum syphiliticorum in scenam prodire solent. Exfoliatur earum superficies epidermide et squammulis obtegitur sub qui-

54-6

bus cutis est incrassata, quae squamulae per novam cutis desquamationem redintegrantur. Absque vestigio evanescunt; — formae modificatae: Psoriasis guttata, palmaris et plantaris.

2. Leprae syphiliticae; plagis constat rotundis aut ovalibus, ceruleo-rubicundis, quae squamis griseis obteguntur. Incipit ab eruptione levium papularum disciformium cum margine prominente, varie corpus adgrediuntur, sub sanatione margines complanantur usque dum macula prius fusco-rubra, dein fusco-flava remaneat, et tandem omne vestigium deest. Aliquando cum ulceratione ex pustulis in medio existentibus procedit.

e) Tuberculosa; radiis varii coloris et formae consistit, nunc sicci, nunc humidi, nunc vegetationibus obsiti, aut ulceratas escharas magnas formantibus vel in ulcera rodentia degenerantibus. Haec tubercula plana non raro frontem in suprema parte circa originem capillorum forma cinguli ambiunt, frequentissime ulcerantur et prominentibus crustis obteguntur. Talis dispositio *corona veneris* vocatur.

f) Alopecia; ut plurimum venerei dolores adsociantur; tantum ex phoenomenis praecedentibus vel concomitantibus quod syphilitica sit cognoscitur.

g) Onychia, inflammatio est matricis unguis, crebrius pedum digitos, quam manuum invadit, cum aliis saepius phoenomenis luem concomitantibus. Tumor adparet livescens, ex quo in posterum materies seroso-purulenta exit, et ulcus aliquando devastans remanet. Aliquando ungues mutationem peculiarem formae et structurae patiuntur absque inflammationis matricis vestigio, dolore excepto; fiunt nempe crassi inaequales, flavo-albicantes, exfoliantur, quo superficies eorum scabra fit et rugosa.

h) Helcosis, idest ulcerationes vel ulcera consectaria aliorum cacodermatum:

1. Ulcera phagedenica, saepe in naso et genis profundissima, magna, margine duro, elato, livido, corroso; sanie corrodente inundatur a tuberculis relicta.

2. Ulcera serpiginosa, a tuberculorum eruptione incipiunt in directione linearum contortarum.

3. Mixta.

De Syphiloidibus.

Hoc vocabulum illis morbis tribuimus qui vel symptomatibus illis syphilidis analogis insurgunt, vel cum syphilide ipsa complicantur. Hae adfectiones sane adnotatu dignae sunt, quando ad diagnosim et curam conferat.

Inter illos primae classis sequentes recensentur.

Rhagades, ulcera, blenorrhoea, dolores, et quamplurimi morbi cutanei qui cum formam omnino illi syphilidis per coitum impurum aequisitae servent, nil inficiendum syphilidem esse spontaneam.

Quoad Rhagades, scimus has affectiones membranas mucosas praediligere et labia, mammas, vulvam, anum, scrotum, palmas manuum, plantas pedum, interstitia digitorum, cutem abdominis conflictare. Qua de re observandum ad causas praecipue sub frigore, vicissitudinibus atmosphaericis, motu intenso et continuato tempore aestivo, ventis, lactatione, sub hydrope ascite et gestatione in superficie addominis. In illis qui coitum exercent ad vulvam et anum si inveniuntur impossibile diagnosim rectam facere.

Ulcera, praesertim ad guttur, per substantias acres ex excoriationibus facta, et ad partes etiam genitales per coiti abusum et conatibus in plethoricis, sanguineis, sensibilibus malo dispositi evenire possunt.

Blennorrhoea; potest homo ab urethrite semper immunem esse et urethritis non productum edere? ita et foemina cujus etiam vulva ita extensa potest fluxum abundantem praebere; urethritis vero majoribus doloribus et magis extensis plerumque non raro stipatur, foeminae huic fluxui mucoso tempore aliquando menstruorum et gestationis obnoxiae sunt.

Dolores osteocopi cum rheumaticis et arthriticis confundi possunt. Nisi quod plerumque noctu tantum post mesonyctium persentiuntur, terebrantes sint etc., absque febri, de die omnino silent et in interno membrorum et punctum fixum tenent, sed non semper. Eruptiones cutaneae citius seu leviter exsurgunt, capillitium et vultum praediligunt etc.

Ast cum vera causa ex pudore lateat, causae universae tum extrinsecae tum intrinsecae sufficiunt? Etiamsi vero coitus adfuit impurus, asserendum; et si impurus

directa causa existimanda? Adsunt praeterea hac in classe aliqui morbi, qui quamvis symptomatibus illis syphilidis similibus exsurgant, attamen propter modum comunicationis, naturam epidemicam et endemicam, decursu et reciprocis accidentibus a morbo terrifico distinguuntur.

I. Morbus SS. Paul-Bai-mal de chicot, *Mal des eboulemens.* Manifestatur per parvas pustulas pro maxima parte ad labia ad linguam et in ore, quae sub exordio aphthis similia sunt; in temporis progressu exulcerantur, et ulcera extenduntur ad partes destruendas; materies albicans purulenta quae effluit est contagiosa, dolores osteocopi praecedunt et persaepe sub pustularum apparitione delentur. Bubones quoque ad glandulas cervicales, axillares, et inguinales, serius totum corpus herpete pruriginoso obtegitur; tande variae exostoses et caries ossei systematis oriuntur; individua omnia aggreditur. Prima vice anno 1776 in Canadà observata fuit. Curatur per remedia crasim mutantia, ut decoct. Sarsaparillae, Bardanae etc.

II. Morbus *di Fiume* o *Scherlievo.* His in locis observatus primitus fuit anno 1800. Tribuitur immunditiei et humiditati, nam illi habitatores vivunt una cum animalibus domesticis in humidis habitationibus.

Symptomata formae et decursus similia sunt illis morbis praecedentis. Ulcera sunt persaepe rotunda, marginibus duris prominentibus rubro-fuscis, raro bubones producit; materies acris cutim inflammatam vel escharas quum exit format, sub quibus morbus stationarius remanet. Si partes genitales conflictat, hoc est ut effectus generalis infectionis; mediate etiam acquiritur; nulli parcit individuo. Methodo antiphlogistica curatur. In Graecia haec affectio degit ubi *Franza* vocatur propter similitudinem cum syphilide. Creditur ibi ex errore, ab Ægypto profecisse revolutionis tempore, et qua epidemica et contagiosa habetur.

III. *Falcadina.* Observata anno 1786. in Fàlcade, provinciae Bellunensis rure: ulceris ad facies, serpiginosis rodentibus, raro gonorrhoeis, tumoribus gummosis, doloribus osteocopis, escrescentiis, bubonibus, exostosibus constat. Ut degeneratio Scherlievo retinetur. Mercurio curatur.

IV. *Morbus Brün.* Adparuit Brün in Moravia anno 1578 epidemicus. Formae a relatis parum differunt. Per remedia antiphlogistica, aliquando roborantia, solventia, specifica oppugnatur.

V. *Pustulae Amboine.* Anno 1748 incerte epidemicae in insulis Molukis, Amboyna praesertim. Symptomata sunt: Tumores in facie tophi similes; ad brachia et pedes verrucarum qualitas, quae difficilius inflammantur; si vero suppurant materiem stipatam gummosam, aliquando corrosivam secernunt, unde ulcera perforantia, cum marginibus duris, caries, nisi morbus negligetur, non eveniunt. A clymate, nutrimento et speciatim liquore ex arbore palmarum obtento *vinho de palmo,* creditur pendere, qui etiam paralisim peculiarem *Beriberi* promovet. Curatur per antiphlogistica, drastica, diaphoretica, chinam, lamboinam, beccabungam; nisi his cedat mercurialia evincunt.

VI. *Sibbens* o *Siwins*-frambois, quia persaepe per ulcera, mollia et spugnosa huic fructui similia manifestatur, aliunde quamplures varie formas ostendunt.

Adest praecipue in Comitatu Gallowoyet Dumfries; Freer opinatur ab insecto simile illi acori scabiei pendere. Etiam sine exitu exsurgit. Antiphlogistica eam destruunt.

VII. *Framboesia, Yaws* et *Pian*, aequales inter se ita sunt ut tanquam de una loqui possimus. Prima in Scozia viget et similes Sibbens Jamaicae videtur; secunda in Guinea et Jamaica viget: tertia in Gaudeloupe. Per torporem et virium prostrationem exsurgunt, dolores articulorum et febrim intensiorem in infantibus; aliquando corpus e farina videtur obtectum; post aliquos dies maculae per cutim facillimum, vel papulae adparent ad frontem praesertim, quae aliquando magnitudinem nummi acquirunt. In centro escara exsurgit, quae cum cadat ulcus malignum fungosum remanet, quod elevatur in tumorem et frambois formam acquirit. Abscessus etiam reperitur et tum periculosus fit. Sensim sensimque delentur ulcera et nullum signum vel parva cicatrix deformis remanet. Generatim diaphoreticis, solventibus et mercurio destruitur.

VIII. *Radesyge.* Skandinaviae propria, sub clymate rigido et nebuloso oriri videtur. Similis illi

Brün. Prodroma: delassatio virium universa, pruritus per cutem, rigiditas articulorum, respiratio difficilis; facies livido-plumbea, dein rubra et sicca intense, sudores profusi sub mane, unde omnium imminutio. Morbus: cutis furfure albicanti obtegitur, qui cum cadat et resurgat cutis aspera, crassa fit, pruritus aliquando cum maculis pulicum observatur, dein decursus est Framboi similis. Facies ex humiditate, corrugatione et ulceribus deturpatur; physiognomia aegrorum est terrifica. Ossa oris eroduntur; sudores profusi et diarrhoea inter dolores atrocissimos mortem afferunt. E mercurio illusorias emendationes obtinentur; melius a remediis igienicis, vitae regimine, irritantibus obtinetur.

IX. *Chavanne-Lure.* Rure ejusdem nominis in Circulo de la Haute-Saône. Post dolores articulorum, etiam per menses perdurantes secundum individua, tumor ad labia inflammatorius evolvitur, una cum aphthis in parte interna albicantibus, quae erumpuntur et bis terve reproducuntur. Proserpit in ore inflammatio cum aphonia doloribus imminuentibus. Aliquando eruptio universa pustulosa exsurgit cum intollerabili pruritu, qui cedit per puris secretionem: quo fit ut bullae succedant sat voluminosae rubro-ceruleae, aliquando ophthalmia cum lacrymatione oculorum adparet; perdurat hic morbus etiam per annos, per se ipsum etiam deletur; ad tertiam aegrorum partem mors habetur. Balnea, remedia tonica, mercurium evincunt.

Hic vero non omittendum adesse aliquando formas syphiliticas obstinatissimas, quae usu valde protracto mercurii in pejus vergere videntur. Quamobrem tum suspicandum ne morbus mercurialis, qui cum syphilitico maximam analogiam tenet, complicationem syphilitici efformet. Nullum fulcrum ad illum detegendum nisi experientiam ab usu sulphuris exhibitam, agnoscimus. Si per sulphur phoenomena morbosa mitigentur pro morbo mercuriali deponitur; contrarium si stent vel exacerbata adpareant.

METHODI CURANDI SYPHILIDEM

Externae. Ope unguenti mercurii.

a) Ope unguenti Cinerei. Cura inunctoria sic dicta parva *Cullerier:*

Tubo-gastro-enterico depurato, aliqua balnea tepentia efficiantur, cubiculi calor sit † 14.° R. diaeta tenuis. Unguento ex parte una hydrargyri et duobus adipis suillae confecto, vespere extremitates inferiores, praecipue internae femori et crurum parti inunguntur, ab initio omni altero die drachma una, sensim ad duas adaugendo; regiones prius aqua tepida laventur. Si post sex vel octo frictiones non res in melius vertant, uncia una et semis vel est opus de die, interpollando omni tertia die balneum universale tepidum. Nisi symptomata mercurialia in scenam veniant, continuetur tali pacto usque ad curam radicalem.

Brera hac usus est interpollando mercurium interne adhibitum.

Scatigna. Unguento ex hydrargyri libra una et uncia una et semis adipis confecto tempore vespertino ab initio scrupulum unum in axillas si morbus superior est; ad femora et genitalia si inferior; dosi augenda ad drachmam de die, diaeta sit tenuis, refrigerium fugiendum.

Chicoyneau, ab *Haguenot* emendata. Æger praeparatus, quotidie dr. duas ung. hydrargyri cin. comm. igni carbonario adsidens per vices extremitates superiores et inferiores infricet, et decoct. rad. gram. caricis. aren. aut rad. sarsap. hauriat. Si phaenomena mercurialia insurgant, continuet in decocta.

Lauvrier cura magna a prof. Rust summe exculta.

a. *Praeparatoria.* Tubus gastro-entericus depuretur, per duodecim dies diaeta tenuis, balnea univer-

552

salia tepida, decoct. althaeae, bardanae, sarsaparillae adhibeantur.

b. *Propria*, ex unctionibus unguenti ex una parte mercurii et duabus adipis confecti ad dr. unam et semis pro duobus diebus. Post inunctiones, duas vel tresve horas in lectulo, aeger maneat in cubiculo calefacto a 16-19° R. Diaeta sit tenuis si sufferatur:

Frictiones matutinae.

Die 1. Utroque cruri. — 3. Ad femora ambo. — 6. In brachiis. — 8. Ad dorsum. — 10. Uti prima. — 12. Uti secunda. — 14. Uti tertia.

Frictiones vespertinae.

Die 16. Ad dorsum. — 17. Mane purgans mite. — 18. Ad crura. — 19. Mane purgans. — 20. Ad femora. — 21. Mane purgans. — 22. Ad brachia. — 23. Mane purgans. — 24. Inunctio ad dorsum. — 25. Mane purgans.

Cryses per sudores, urinas, alvinas evacuationes intra 14-16 diem evenire solent, ita et ptyalismus.

f. Cura reconvalescentiae plerumque ad diem 26 curae incipit; sensim sensimque diaeta adaugetur, balneo tepido aeger imittitur, ad cutem cum spiritu saponato camphorato lotiones instituuntur.

— b. Ope unguenti — c. Calomele applicato methodica.

Plisson si cura latere exposcat in lue inveterata, curae parvae diaeta.

R. Merc. dulc. dr. unam
(Oleo)-cerati simpl. unc. unam
Probe misc. et f. pomat. pro frict. cutan.
S. Dr. 2-3 alternis diebus adplic.

c. Ope mercurii sublimat. corrodentis forma unguenti.

Cirillus: Mercurii sublimat corrod. dr. unam cum adipis suillae unc. una plantas pedum infricandum.

Hufeland: R. Mercurii subl. corrod.
Salis amon. dep. aa unc. semis
solve in
Aq. ros. unciis quatuor
filtra, adde

Axung. porc. pur. unc. quatuor
tere in mart. vitreo in balneo Mariae
ad perf. evapor. aq. ros. Post refrig.
adde
Olei de cedro guttas triginta-ad dr. 1 1/2-2
de die

praemissis 2-3 balneis, clysmatibus et ptisanis refrigerantibus et solventibus per 4-5 dies. Die primo unius pedis, altero secundi plantam inungitur per 1/4 h. fricandi, tertio a frictione balneum tepidulum.

b. Methodi externae ope suffumigationum. Ope Cinnabaris vel Calomelis. Ad dr. unam sensim carbonibus inspergitur cum cautela ne oculos vel organa respirationis attingat.

Wernek in ulcerosa lue sequentem methodum commendavit. Per sex dies post purgans ad vesperas per horam aeger tepide lavatur, diaeta tenui et decoct. sarsap. obsumpto. Aer cubiculi ad 14.° R. Ulcera linteolis aqua tepida madefactis alium purgans. Dein denudatus vespere 18.° R. in sella ponitur per 1/4 h. serico tenuiore cerato obtecto ad collum adligato, sub qua suffumigationes elevantur: hae, a 18-20 sint. min. perdurent post quas dies 14 in cubiculo maneat et per longius tempus a potubus calefacientibus abstineat.

c. Ope balneorum.

Wedekind. Mane aut vespere in aquae pluviae balneom cum dr. 2-3 mercurii subl. corrod. p. 1/4 h. ad 25.° R. maneat: dein in lectulo transpirationem promoveat et bibat:

R. Aq. font. lib. duas
Sacch. albi unc. sex
Spirit. nitri puriss.
sive
Acid. nitr. fum. q. s. ad gratiam
Pediluvia etiam juxta.

Beaumé. Per horam fiant; ad omnem quadrantem hor. gr. semis mercur. subl. corrod. injicitur.

Verducci. Vasculum e pseudo-myrrha aqua calida repletur ut malleolos fere attingat sub 36.° R. p. 1/2; tum 5-6 pars sequentis solutionis instillatur:

R. Hydrarg. mur. corr. gr. 48
Alcoh. unc. unam
Aq. distill. lib. unam

d) Ope clysmatum.

Royer, commendavit in ulceribus intestinis recti usitatam:

R. Decoct. sem. lini unc. 8-12
solve
Merc. subl. corr. gr. 1-2 vel merc. praecipitat. rubr. vel hydrar. muriat.
Pro clysmate mane et vespere.

Interne—Mercur. praecipit. rubrum.

Bergius: R. Mercur. praecip. rub. gr. 2
Stib. sulph. nigr.
Sacch. albi aa scrup. 8
M. f. pl. Div. in dos. aeq. N.° 16
S. 1/8 gr. part.-gr. 1. omni 4. vel 8. die in malis inveteratis cum decoct. dulc. Mezer. Caricis aren.

Blasius: R. Hydr. oxyd. rub. gr. 4
Tere cum syrup. simpl. s. q.
adde
Micae panis.
Sacch. albi aa q. s. ut f. pilul. N.° 80.
Corsp. pulv. cinae m. D. ad vitr.

